



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Forma Vernacvla Lingva Copvlandi Rite Desponsatos, Et  
Legitime Proclamatos, Secvndvm Catholicæ & verè  
Apostolicæ Ecclesiæ ritum**

**Leisentritt, Johann**

**Coloniae, 1590**

**VD16 L 1074 (Beigef. Werk)**

Capvt V. De Temporibvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39240**

*Quis sit effectus legitima dispensationis in causa matrimoniali*

Effectus dispensationis est, quod contractus fit matrimonium, contrahentes mariti & uxores, liberi inde nati fiunt legitime, cū distinctione de qua supra, scilicet si dispensatio est facta in gradibus à iure diuino prohibitis. Vltioribus tamen, vt si quis duceret relictam patruum legitimantur tantum liberi post dispensationem nati, priores non fiunt legitimi. Si autem dispensatio sit in gradibus à lege Canonica prohibitis omnes fiunt legitimi, per ea quæ decidunt Ioan. An. & Pa. in d. c. per venerabilem.

## DE TEMPORIBVS.

### CAPVT V.

*Quæ sint tempora siue feria in quibus nuptia non debent sollemniter celebrari*

**A**ntiquas solennium Nuptiarum prohibitiones ab omnibus obseruari Sacrosancta Synodus Tridentina præcipit Sess. 8. Vnde haud abs re esse putavi in gratiam & specialem fauorem pastorum exprimere & recensere tempora (vt vocant) ferrarū, quæ nuptias sollemniter celebrandas, non patiuntur, causis prohibitionis annexis, Et sunt hæc.

*Videlicet:*

*A Dominica prima Aduentus, vsq; in diem Epiphania.* Ab hoc enim tempore, quod est tēpus renouationis Ecclesiastica officia incipiunt, & magnifit Aduentus D. nostri Iesu Christi per quatuor septimanas, eò quod quadruplex sit aduētus filij Dei, sed vltima nunquam finitur, quia sanctorum gloria quæ dabitur in vltimo aduentu, scilicet ad iudicium, nunquam terminabitur. **PRIMVS** itaq; Aduentus est in carnem, scilicet in vtero virginis assumptam, de quo dictum est, *Osanna, filio Dauid, Benedictus qui venit in nomine Domini.* **SECUNDVS** in mentē, qui descensus fit quotidie in cordibus fidelium per Spiritum sanctum, de quo Ioan. 14. cap. *Ad eum veniemus & apud eum mansionem faciemus, & dicit Sap. 9. Domine emitte sapientiam. vt mecum sit, de his habetur i. bacuc. 2. Si moram fecerit expecta eum. quia veniens veniet, &*

NON



non tardabit. **TERTIVS** Aduentus est in morte cuius libet, de quo dicit B. Iacobus cap 5. Patientes estote vsq; ad aduentum Domini. & Matth. 24. cap. Si sciret pater familias qua hora veniret fur, vigilaret utiq; &c. Ideo & vos estote parati, &c. Et iterum Lucae 12. Si in prima vigilia venerit, id est, in iuuentute, & in secunda, &c, & ita inuenerit, scilicet in poenitentia. Beati sunt serui illi. **QVARTVS** Serit iu maiestate, qui erit in die iudicij, de illo legitur Esa. 3. cap. Dominus ad iudicium veniet, cum senioribus populi sui. Et notandum est, quod primus Aduentus liberauit animas, Secundus liberat eas à peccatis. Tertius à poena. Quartus corpora liberat. Hæc ille.

*Et rursus*

*A feria quarta Cinerum, vsq; in octauam Paschatis inclusiuè.* Hoc enim tempus est tempus Poenitentiae, afflictionis & abstinenti, tunc homines abstinent à carnibus & continent à luxuria, vt probatur apud Guil. Du. lib. 6. c. 28. quod D. Petrus hoc ieiunium primò instituerit. Habet & auctoritatem hoc ieiunium in veteribus libris ex ieiunio Moysi & Heliae & ex Euangelio, inquit August. Epist. 119 vt de Moyses patet Exod. 24. & 34. de Helia 3. Reg. 19. de Christo Matt. 4. Marci 1. Lucae 4. De ieiunij præterea, institutione & qualitate abundè tum vel ex Concilio Cabilonen: in c. solent. de con. di. 1. Per octauam verò paschatis quæ officium dominicæ Resurrectionis deuotissimè celebratur, & pertinet ad timorem, quo timemus terribilem sententiam iudicis. Cum enim dicit pater, Rex & iudex omnium resurrexit & abhuc in sigillatione inimicorum dicentium, quando morietur & peribit nomen eius. Tunc magnus erit timor & tremor Vnde & in offertorio dicitur. Terra tremuit, &c. Reliqua apud Du. locis precitatis.

*Item.*

*A prima die Rogationum, vsq; ad Dominicam Exaudi.* Nam per hæc dies secundum Concil. Aurel. debemus ieiunare vel saltem quadragesimalibus, & cappis nigris, non vestibus solennibus, in signum poenitentiae vti. de consiliis distincti. tertia. Rogationes. Præterea omnes debemus à seruilibus operibus vacare, & sicut

omnes



omnes peccauimus & misericordia Dei egamus, ita omnes tam serui & ancillæ, quam viri & mulieres illis dominantes, Litanij & precibus vnanimiter ad Deum fundendis, interesse, ad Deum corda cum manibus erigere, & pro venia supplicare debemus.

*Item.*

*Feria sexta, hoc est dies Veneris cum Sabbatis, in quibus de facto meminimus multos nuptias celebrasse, quem autem euertum habuerint, extant exempla. Item vigilia (vt vocamus) quarundam festiuitatum, quæ ab Ecclesia præcepta habent ieiunia. His etiam accedunt dies ieiuniorum, Quatuor temporum, de quibus quilibet hoc quod plurimis ignotum est, notet, nempe cum annus solaris quatuor temporum successione dilabatur, scilicet hyemis, in quo semina iaciuntur. Veris in quo seminata prodeunt, & in spicas acuumur. Aestatis, in qua metes albescunt, & falce succiduntur. Et Autumni, in quo per ventilationem grana à paleis separata, in horreis reponuntur. Sic & magnus vitæ præsentis annus, durans ab initio, vsque ad finem mundi, quatuor temporum varietate mensuratur. PRIMVM tempus fuit deuiationis in genere humano, videlicet ab Adam vsque ad Moysen, in quo declinauerunt homines à cultu Dei, qui vera lux est, facti idololatæ, & nihil illuminationis doctrinæ habentes, simul inutiles facti sunt, nec fuit qui faceret bonum, vsque ad vnũ. Tunc enim reliquit homo creatorem suum, & de lapide dixit. Tu es Deus meus, Hoc tempus, quia fuit ignorantia & cæcitas, bene concordat hyemi, in quo obscuritas regnat. SECUNDVM tempus fuit reconciliationis, siue renouationis, videlicet à Moyse vsque ad natiuitatem Christi, quo edocti sunt homines per legem & Prophetas de Aduentu Christi, de curatione peccati, & dilectione vnus Dei. Tunc dominus dixit ad Israel Deut. 6. Audi Israel Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias, & doctus est homo, quid sibi ipsi, quid Deo, quid proximo facere teneretur. Postmodum ob eandem causam suscitauit Prophetas, vt scilicet prædicatio hominem magis ab erroribus reuocaret. Hoc tempus concordat cum vere, quod habet aliquid luminis, sed multum obscuritatis. TERTIVM tempus fuit regressionis siue reconciliationis & visitationis, videlicet à natiuitate Christi vsque ad Ascensionem eiusdem, per quam facta est gratia hominibus, & prædicatio*

Euan-



Euangelij, de quo dicitur. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis Hoc est tempus gratiæ, quia oriens nos visitauit ex alto, in quo tempore Dominus, qui est sol iustitiæ, mundū sua præsentia visitauit, & propria doctrina sufficiēter illustrauit. Hoc tempus concordat cum æstate, in qua claritas regnat. **QVARTVM** est peregrinationis videlicet ab Ascensione Domini vsq; ad diem iudicij, ubi erit consumatio seculi, quod tempus est, habens multum luminis, qua Dei misericordia reuelata sunt diuina mysteria, habet tamen aliquid obscuritatis nostra negligentia faciente, & sic concordat cum autumno, qui habet aliquid obscuritatis, sed amplius claritatis, Vt autē summatim dicatur, In primo tēpore, vigor fidei, flos spei, fructus charitatis frigore infidelitatis exaruit. In secundo, vinea Domini aliquatenus viruit, & floruit. In tertio, virens & florens fructus vberimos attulit. In quarto cadentibus folijs verborum, decolorari cœpit. Hoc de quatuor temporibus quæ cum ieiunio representat ecclesia singulis annis. siue status ecclesiæ per hæc quatuor tempora variatur.

*Item.*

*Speciale restat impedimentum, quod est vel à iure ab homine. A iure utpote prohibetur tempore quadragesimæ, alioq; tempore prohibito contrahi matrimonium, vt prædictum est. Et not. c. capellanus. de fer. c. non oportet, & seq. 3. q. 4. quod est intelligendum, vbi non contractus matrimonij aut coniugum, sed publica nuptiarū solennitas & conuiuia & choreæ atq; solēnis traductio vxoris, coniunctioq; carnalis prohibita censenda sunt. glo. & doct. in d. c. cappellanus.*

Ab homine interdum pedimentum, vt si iudex prohibeat ob aliquam causam, ne pars contrahat, antequam de matrimonio fuit cognitum. Si iudex iste habebat causæ cognitionem matrimonij, & tunc si causa sit perpetua, propter quàm interdicitur, & eo casu peccat, qui contra talem prohibitionem contrahit & separabitur matrimonium data sententiā diuortij, & probato impedimento coram iudice ecclesiastico. c. vlt. de mati. contra. in rer. Eccle. contract.



Sverò impedimentum erat temporarium, tenebit matrimonium, vnde hi versus antiqui recensentur:

Ecclesiæ vetitum nec non tempus feriarum,

Impediunt fieri, permittunt iuncta teneri.

Sed in pœnam debet iste contrahens ad tempus separari. c. 1. & 2. de matrimo. cõtra interd. eccles. Angel. Claua. in sua summa, in verb. Matrimoni. 3. ver. impedimentum primum, & seq.

Nota.

In alijs verò temporibus nuptias celebrari permittitur, quas pastores curabunt, vtea, qua decet modestia & honestate fiant,

Sancta enim res est matrimonium, & sanctè tractandum.

**FINIS.**